

NUMMUS VOTIVUS

HENRICI II. GALLIARVM REGIS : Cusus ante Expeditionem in Germaniam susceptam. Anno Christi 1552.



ENRICUS II. Rex Galliarum scripto edito, quomente, quoque consilio bellum suscipiat in Germania, declarat: nempe ut Principes captivos liberet: effrenatam Cæsaris cupiditatem coercet, afflictæ Germaniæ pristinam libertatem restituat: Rempublicam constituat. Viderat is numisma D. Bruti interfectoris Cæsaris: insignitum pileo & duobus pugionibus: cujus imaginem, è penu nostra numismatica depromptam, communicandam tibi (Lector amice) putavimus:



Cum itaque Germaniam in libertatem sese vindicaturum promitteret, Emblema simile literis, quas diximus suis præfixit: inque id quod polliceretur, totis se viribus incumbere, videri voluit: re verò ipsâ quid ageret, eo tempore manifestavit: cum Tullum, Virodunum, Metimque Imperio Romano surreptas juris sui ac potestatis faceret.



In Alsatiam ingentem exercitum ubi venisset, speravit fore, ut, quemadmodum amicitiae quadam ostentatione Metim ingressus fuerat, sic etiam ab Argentorato non excluderetur. Spe verò hac suâ dejectus Haganoam inde